hanc solam ob causam venisse, ut nova præcepta legi adderet. Quem pernicioſum errorem sufficienter refellit Dn. D. Gerhard. Tom. 3. L. L. Art. de Evang. §. 71. & seqq. D. Franzius disp. 7. in Aug. Confess. memb. 4. & seqq.

XXVII.

2. *Fidem justificare per apprehensionem meriti Christi præcisè negando*, sic n. nobis mentem suam exponit Socinus cap. 9. part. 4. pag. 368. *Credere per ea, quæ passus est Christus nostra peccata deleta fuisse nullo modo ea fides in Christum esse potest, quâ justificamur.*

XXIIX.

Contrà, speciale justificantis fidei objectum, quod ipsa primariò apprehendit, & cujus ratione justificat, esse Christi meritum & singularem Dei gratiam, quâ omnes credentes ob satisfactionem Filii sui se justificaturum promisit, probatur 1. *à Christi satisfactione*, sin. Filius Dei satisfecit pro nobis Patri suo, ut ipsum satisfeciſſe solidè demonstravimus Thes. 16. & 17. & propter hanc ipsam satisfactionem peccata dimittuntur, utiq; fides, quę peccatorum veniam impetrat satisfactionem illam tanquam primarium suum objectum apprehendet. 2. *ab expreſsa objecti nominatione*, quod toties indicatur, quoties de justificatione agitur, in omnib. omninò locis, quæ huic articulo sedem præbent, cum quib. confer 1. Cor. 1, 30. Jer. 23, 6. Es. 63, 11. Act. 4, 12. c. 10, 23. Christus n. Mediator totius Scripturæ meta est & scopus unicus ad quem solum in seriis fidei exercitiis & tentationib. verè pii confugiunt. 3. *A fidei Abrahamiticæ factâ probatione*, quippe quæ in sacris nobis solenniter ad imitandum proposita inprimis respiciebat sanguinem Christi Rom. 3, 25. redemtionem v. 24. mortemq; & resurrectionem ejus Rom. 4, 23. Vide plura apud Dn. D. Meisner. disp. 1. de Fide Justif. à th. 103. usque ad 117. ubi simul ad principales Socini objectiones eruditè respondet.

XXIX.

3. *Plenissimam credendi & non credendi facultatem cuivis homini ex naturalibus viribus tribuendo*, fidemq; non oriri ex singulari Spiritus sancti dono impiè astruendo, sicuti patet ex disp. Socini de Serv. part. 4. c. 12. pag. 402. & seqq. Ostorod. cap. 33. qui pag. 280. ita concludit. So bleibet nun vnsere Meynung fest stehen / nemlich daß der Mensch einen freyen Willen hab / so wol zum guten / als zum bösen-

XXX.

Contrà divinus Codex informat nos, tàm in genere, hominis